DE SPERMATORRHOEA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXVI. M. MARTII A. MDCCCXLVII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
RUDOLPHUS NIESEMANN
POMERANUS.

OPPONENTIBUS:
B. FICINUS, MED. ET CHIR. DR.
F. GEISHEIM, PHILOSOPH. STUD.
C. MAMPE, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

VIRO

AMPLISSIMO, HUMANISSIMO, GENEROSISSIMO

FRIDERICO ENGEL,

NEGOTIATORI IN BRITANNIA CELEBERRIMO, MERCATURAE
DANICAE PROCURATORI, ESQ.

AVUNCULO CARISSIMO,

TOT TANTISQUE BENEFICIIS OPTIME DE SE MERITO
ET AD CINERES USQUE SUMMA PIETATE
PROSEQUENDO,

NEQUE MINUS

VIRO

HUMANISSIMO, DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

CAROLO MAMPE,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO
APUD STARGARDIENSES CELEBERRIMO,

FAUTORI BENEVOLENTISSIMO,

OPTIME DE SE SUISQUE MERITO SEMPERQUE
MAXIME COLENDO,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Spermatorrhoeae nomine recentissimis temporibus morbosum seminis effluvium significatur, quod, invito et saepe inscio aegroto, plerumque inter urinae aut alvi secessum fieri assolet, nulla praecedente penis erectione aut voluptatis sensu. Hic morbus, interdum Spermatorrhoea excrementitia nominatus, non inter maxime cognitos quidem videtur numerandus; etiamsi enim, ex quo tempore Lallemand primus ad hunc morbum medicorum animos advertit, multae eaeque praeclarae observationes et sententiae in lucem prolatae sint, frustra tamen in enchiridiis pathologicis et therapeuticis accuratior hujus morbi explanatio investigatur, summum in capitibus de onania et nimia pollutione nocturna agentibus ejus obiter tantum et imperfecte mentio fit. Quam ob rem, ut legibus ac institutis academicis rite satisfieret, omnia ad Spermatorrhoeam pertinentia hac nostra scriptiuncula conferre atque ita quasi summam hujus morbi succincte et perspicue proponere suscepimus. Multa praeterea Spermatorrhoeae exempla, quae in clinicis medicis Ill. Romberg, Schoenlein et Cel. Wolff observandi nobis occasio data erat, animum induxerant, ut accuratius investigaremus symptomata, quibus hic in tenebris repens eoque modo certius et inopi-

nanter sanitatem subvertens morbus dignosci possit. Auctorum, quorum opera nobis erant in promptu, sententias de Spermatorrhoea perlustrantes, quae invenimus notatu digna, collegimus ac composuimus iisque nonnulla adjecimus, quae ex morbi intuitu proprio didiceramus. Quae tamen omnia, ut tironi exigua scientia nec tam larga, quam opus est, experientia munito convenit, non magni momenti esse possunt. Vos igitur, LL. BB., qui libellum nostrum, qualiscunque est, lectu dignum habetis, ne severiori judicio submittatis, sed benevole viribus juvenilibus indulgeatis, quaesumus atque rogamus.

DE HISTORIA ET NOMINE MORBI.

In scriptis veterum profluvium seminis morbosum Gonorrhoea simplex nominatur. Cujus morbi descriptiones tam parum satisfaciunt et morbus ipse toties cum blennorrhoea urethrae confunditur, ut dubium adhuc sit, quid re vera hac denominatione indicetur. Sic Aretaeus (de caus. et sign. diut. morb. Libr. II. Cap. 5.), continentem, ait, seminis profusionem esse et quidem sine omni voluptate, seu aeger vigilet seu dormiat. Eandem definitionem Coelius (Acut. morb. Lib. III. Cap. 18.) promit: „Gonorrhoea i. e., si quidem sine tentigine veretri fit, seminis involuntarius atque jugis elapsus." Quis dubitet, hoc continuum profluvium non seminis, sed muci urethrae fuisse. Hippocrates tamen et nonnulli alii veteres medici Spermatorrhoeam cognovisse videntur. Vir ille enim sapientissimus, de tabe dorsali agens (de morb. Lib. II. Cap. 49.), aegrum, si alvum egerat seu urinam emittat, simul magnam seminis aquosi multitudinem

effundere narrat. Nec minus commemoranda sunt, quae Celsus (de medicina Lib. II. Cap. 49.) disertis verbis de hac gonorrhoea habet: „est etiam circa naturalia vitium, quod sine venere, sine nocturnis imaginationibus sic fertur, ut interposito spatio, hominem tabe consumat." Sed tamen saeculo decimo octavo Spermatorrhoea tam ignota fuit, ut Boerhaavium celeberrimum praeterierit isque disertis verbis neget, se unquam vidisse, semen effusum fuisse absque tentigine venerea — non esse verum semen in teste secretum et in vesiculis adservatum (Cf. inst. med. §. 77). Hallerus pariter semen absque tentigine venerea effundi posse negat (Cf. elem. physiol. Tom. VII. p. 554.), dicens: si id accidat, e prostata venisse. Idque magis mirandum est, quod Tauvry, anatomicus superioris saeculi, aperte et nominatim profitetur (Cf. nouvelle anatomie raisonnée A. 1693 p. 146), sperma a minima compressione vesicularum seminalium elabi posse post alvi vel lotii excretionem in iis, qui Venere abutantur. Ne diserte repugnet Boerhaavio, adnotat tantum Morgagni (Cf. de caus. et sed. morbor. epistol. 44. artic. 16.), posse omnino sine venereis cogitationibus semen defluere, ut a calidioris clysmatis injectione, aut a duriorum alvi recrementorum excretione, erosis vel laxioribus oris foraminulorum, per quae semen in urethram descendit;" sed haesitanter subjungit: „nisi et illis id, quod exit, semper paucum adeo et tale fit, ut a prostata deducere liceat, his vero nunquam esse queat e vesiculis seminalibus." Ex allatis saltem liquet, effusum hac ratione liquorem nunquam viros hosce vidisse vel examinasse, ut de natura veri spermatis sibi persuaderent. Quamvis jam ille Tissot viderit plures, qui absque ulla tentigine venerea effluxu genitalis liquoris premerentur, nec diffitetur, vesicularum semi-

nalium resolutionem perfectam possibilem esse (Cf. Tentam. de morb. e manustupr.), majoris tamen momenti demum fuerunt observationes et libellus Wichmanni. Hic accuratius pollutionem diurnam indagare et perscrutari studuit eandemque primus morbum peculiaris ac proprii generis descripsit. Quamquam hac in re multum praestitit, negari tamen nequit, ea, quae retulit, non satis nota et firma esse. Etiam multos per annos fere ignota fuit Spermatorrhoea; saltem scriptores (P. Frank aliique) accuratiorem quandam descriptionem nequaquam reliquerunt. Primo Lallemand, viro illi ingeniosissimo, contigit, ut in perpetuum medicorum attentionem ad morbum illum converteret. Hic vir, insignis ingentibus de indagatione Spermatorrhoeae meritis, per longum tempus hoc malum exactius perscrutatus est et summam eorum, quae observavit et invenit, acerrimo cum judicio in libro „des pertes séminales" composuit ac illustravit. Quo facto, demum Spermatorrhoeae diagnosis crebrius facta ac multa symptomata, quae antea aliis morbis, inprimis Hypochondriae tribuebantur, huic adscripta sunt. Recentioribus temporibus complures observationes adjunctae sunt, de quibus in hac dissertatione saepius disserendum erit.

Synonyma. Incontinentia seminis, fluxus sive profluvium seminis, Gonorrhoea simplex secundum Tissot, Gonorrhoea vera, Pollutio diurna, Spermatozemia secundum Fuchs.

LITTERATURA.

J. E. Wichmann: de pollutione diurna frequentiore, sed rarius observata tabescentiae causa. Goett. 1782.

Naumann: Handbuch der medic. Klinik Bd. VII.

F. Lallemand: des pertes séminales involontaires. Bruxelles 1839.

Pauli: de pollutione. Speier 1841.

British and Foreign medical review. Aprilheft 1843.

R. Remak: Diagn. und Pathogen. Untersuch. in der Klinik von Schoenlein. Berlin 1845.

F. B. Curling: Krankheiten des Hodens, Saamenstranges etc. Leipzig 1845.

Philipps: médical gazette Bd. 31. 1846.

SYMPTOMATOLOGIA.

Spermatorrhoeae *signum pathognomonicum* seminis profluvium est, quod, invito saepenumeroque inscio aegroto, interdiu fit sine voluptatis sensu, sine penis erectione, plerumque cum excretione urinae aut alvi conjunctum.

Initium morbi. Semper fere Spermatorrhoeam tantum plane exquisitam videre licet, ad quem gradum re vera, quum initio negligi soleat, paullatim evehi potest. Plerumque autem morbus incipit nocturnis pollutionibus, quae initio praeterea cum somniis libidinosis conjunctae sunt et per hebdomadem aliquoties redeunt. Jam vero aegroti, si novo concubitu huic malo occurrere conantur, se minus aptos ad coitum persentiunt ac semen imminuta voluptate praepropere atque sine vi profundunt. Penis erectionibus inertibus et mox relaxantibus, saepe, priusquam sinum muliebrem adire potuerint, sponte liquorem seminalem amittunt. Nocturnae pollutiones, quae tum ob eandem causam exigua voluptate et imperfecta penis erectione fiunt, magis magisque augentur; aegrotantes e somno experrecti languore fessos se sentiunt, capite gravantur, ani-

mique moestitia aguntur. Postea etiam vigilantes semen amittunt, quod initio necesse est genitalium irritatione efficiatur. Haec vero propter valde accensam coitus libidinem perexigua esse potest et jam solus feminae dilectae adspectus vel oblata rei lascivae imago sufficit, ut semen titillatione exigua et imperfecta brevique erectione profundatur. Postremo vero coëundi libido omnino desinit et nocturnae pollutiones minus saepe fiunt. Quo rarius autem redeunt, eo saepius invito et interdum inscio aegroto semen die profunditur sine ullo sensu voluptatis ac sine ulla penis erectione. Quo facto, Spermatorrhoea conformata est.

Sed non semper morbus dicta ratione manifestatur, nam statim a pollutionibus diurnis ordiri potest, quod haud raro evenit. Accidit quoque, ut modo nocturnae fiant, quae cum manca libidine et potentia sexuali conjunctae sunt, quibus eadem, quae per diurnas, oriuntur incommoda. Pauca tantum exempla nobis praesto sunt, quibus demonstratur, has nocturnas pollutiones cum aucta sexuali potentia et prope cum satyriasi quadam conjunctas esse. Cf. quaestt. pathog. Remak, qui duo exempla profert.

Quod seminis excretionem, semen ac genitalia attinet. Profluvia seminis plerumque simul cum alvi secessu fiunt, qui propter obduratas faeces semper fere molestissimus est. Inter compressionem laboriosam pellucidum liquorem filorum instar fluentem ex urethra provenire vides. Nec minus animadvertere licet, statim post urinam redditam majus vel minus stillicidium seminis accedere et interdum semen cum urina ipsa mixtum edi. Hic rerum status ita confunditur, ut modo cum alvo, aut statim post urinae excretionem profluvia seminis fiant, modo tantum, spermatorrhoea illo loco intermissa, semen in urina reddita inveniatur. Quod si accidit,

in lotio nubeculae oriuntur leviaque alba sedimenta, in quibus microscopii ope spermatozoa deteguntur. Perraro seminis stillicidium continuum est et fortasse omnia ad hanc rem demonstrandam prolata exempla non genuinam spermatorrhoeam sed cum blennorrhoea urethrae complicatam exhibent. Quamvis plerumque modo res dictae seminis effluvium excitare soleant, tamen multae aliae causae sunt, quibus illud, ratione cujusvis hominis naturae ac indolis habita, effici potest. Ejusmodi sunt, si quis diu ac incommode equitat aut saxosam per viam curru vehitur (cujus rei profert exemplum P. Frank in profluviis), porro clysmatis calidioris injectio, balnea calida, denique magna corporis vel animi concitatio. Quo major aut minor testiculorum vigor est, quo celerius vesiculae seminales implentur, eo saepius aut rarius, sed plerumque semel quotidie, seminis effluvium fit.

Quantitas seminis profusi secundum hominum naturam variat et aliquot guttas ad dimidium cochlear conficit. Odor atque consistentia interiit, semen ipsum coloris expers et aquosum apparet, quod jam ex eo dignoscitur, quod linteum non rigidum reddit nec maculas flavis marginibus notatas relinquit, sicuti semen normale, sed tales tantum, quales urina efficiuntur. Spermatozoorum numerus valde deminutus est, quae pro gradu morbi secundum Lallemand minus numerosa et exculta vividaque sunt, denique in gravissimis casibus omnino desiderantur. Liquor, secretis vesicularum seminalium et glandulae prostatae admixtis, valde dilutus est et in extremo morbi gradu fere omnino ex illis et materia aliqua purulenta constat. Praeterea saepius accidit, ut semini sanguinis striae admixtae sint, aut sanguis cum eodem intime junctus appareat.

Partes genitales, etiamsi magnae et excultae sint, tamen

remissae atque flaccidae inveniuntur. Glans penis raro plane obtegitur, aut phimosis naturalis exstat. Orificium urethrae apparere solet rubrum, tumidum semperque liquore pituitoso humidum, inprimis apud eos, qui prius blennorrhoea laboraverunt. Scrotum prolixum et flaccidum dependet, testes modo molles et atrophici, modo inflati et varicosi reperiuntur. Urethra, si catheterem inducis, maxime sensibilis est, inprimis in parte prostatica, in qua haud raro deprehendis stricturam.

Quod totum corpus attinet. Symptomata generalia sunt ejusmodi, ut Lallemand certe non temere dixerit, quemvis Spermatorrhoea laborantem alio morbo affectum videri. Et re vera nonnunquam accidit, ut medicus ex symptomatibus potius alium morbum, inprimis hypochondriam, quam spermatorrhoeam dignoscat, praecipue apud eos, qui inscii semen simul cum urina mixtum amittunt. Quantumvis symptomata inter se differant, tamen morbi haec generalis a nobis proposita imago majori casuum numero respondet. Plurimi, maxime ii, apud quos morbus pollutionibus incipit et largius effluvium adest, jam primo tempore pallida facie sunt, subsidentes, circulis coeruleis cinctos oculos, timidum vultum habent et macrescunt. Macies quidem mature, praesertim in extremitatibus inferioribus et in regione coxarum et inferioris partis columnae vertebralis, perspicua est. Ejusmodi aegroti praemature senescunt, deperdunt capillos et omnino sanitatis speciem. Sunt vero, qui validi et robusti appareant, neque singulare quoddam habeant, quod conquerantur; sed si eos per longius tempus accuratius observaveris, genua leviter curvata esse neque facile eos diu erectos consistere posse invenies, nisi corpus modo hoc modo illo pede fulciant, aut aliquid quaerant, quo dorsum reclinent.

Quod ad digestionis apparatum spectat, fieri potest, ut appetitus diu vigeat, vel ad voracitatem usque augeatur; sed concoctio ipsa variis molestiis turbatur. Post coenam aegroti faciem subito aestu tentari et vires hoc tempore insigniter prostratas esse sentiunt. Concoctionis enim organis aeque ac reliquis maximopere debilitatis, abdomen eo magis quo avidius et citius deglutiunt, ex illa ventriculi et intestinorum atonia inflatur, qua re anxietatis cujusdam sensatio exoritur. Ructus et flatus uno tenore aegrotantes vexant. Alvus semper tardissima est, de quo symptomate plurimi aegroti maxime conqueruntur.

Renes in hoc morbo largius sales oxalicos secernunt, inprimis calcem oxalicam, quam Donné constanter in urina seminali se conspexisse contendit. Nonnunquam in urina etiam pus invenitur, quod fieri assolet, ubi abscessus prostatae spermatorrhoeam efficit. Plerumque detrusoris vesicae vis propellendi debilitata est, unde fit, ut urina potius stillicidio reddatur, quam forti rivo explodatur. Neque raro creber mingendi impulsus, dolor et calor in parte prostatica urethrae observatur. — Genitalium functiones inertes sunt et erectiones imperfectae. Maxima ex parte coëundi libido ac erectiones omnino desinunt et si hae interdum accedunt, tamen aegroti ad coitum non apti sunt, quoniam vel minima corporum cavernosorum distentione semen destillat.

Creberrima aegrotorum querela respicit lassitudinem et si per longius tempus ambulare aut stare coguntur, intense fatigantur. Lallemand confirmat nonnullis exemplis, aegrotantes, quamvis admodum debiles, tamen inexplebili desiderio motionis cruciatos esse, ita quidem, ut, propter inquietem quandam crurum, nunquam uno eodemque loco consistere possent, sed continuo pedibus trepidarent. Magis magisque

auctae fatigationis sensus somnum provocat, sed etiamsi hic longus et continuus est, tamen vires parum aut nihil recreantur; plurimi horis matutinis magis defessos se sentiunt, quam accedente vespere.

Doloribus aegroti raro vexantur, nisi formicarum aut frigoris, ex collo per columnae vertebralis longitudinem descendentium, sensationem huc referre velis. Sunt, qui inter alvi excretionem totius corporis horrore perstringantur alvoque haud facile deposita ingentis debilitatis sensu corripiantur. Per longius aut brevius tempus dolor quoque constringens praesto est, qui ex medulla spinali ipsa provenire videtur et praecipue ad decimam pectoris vertebram usque ad secundam vel tertiam lumborum porrigitur. Nonnunquam ei alius quasi premens et constringens dolor praecordiorum consentit, qui caeteroquin saepissime cum inflatione relaxati intestini crassi cohaerere videtur. Neque miraberis vim sensuum debilitatam. Susurru et aurium tinnitu aegroti turbantur, quocum symptomate interdum vertigo et subita animi defectio conjuncta esse solet. Inprimis oculorum debilitas propria est. Crebro enim accidit, ut aegroti culices, aut omnia nigra spectare sibi videantur, unde postremo amblyopia perfecta oritur. Praeterea cordis palpitationes, oppressio pectoris angorque e regione cordis provenientes, deliquia animi accedunt. Si denique aegroti plane defecti sunt, molestissimis, rheumatismo simillimis, interdum ossium doloribus sese cruciari profitentur.

Interea plerique magis magisque animo hebescunt. Tristibus anxiisque cogitationibus mens obruitur; aegroti de vita sollicitantur, ac nihilominus propensi sunt ad mortem sibi consciscendam. Morosi neque contenti semet ipsis hominum societates contemnunt et quaecunque animum oblectare solent.

Facile irritantur iraque incenduntur, neque aliam rem curant ac morbum suum; quam ob rem avide legunt, quaecunque huc pertinent. Nec minus memoria imminuitur, cogitationum nexus interrumpitur sensimque ingenium ita hebescit, ut verus animi stupor sequatur.

Complicationes. Fere nunquam Spermatorrhoea oritur, nisi alii quoque morbi accedant, inter quos primum numerantur: blennorrhoea et strictura urethrae, morbi testiculorum, prostatae, vesicae urinariae, intestini recti, porro hypochondriasis, irritatio spinalis etc. Multi eorum inferunt spermatorrhoeam, aut saltem eam nutrientes diagnosin saepe difficilem reddunt.

DECURSUS ET EXITUS.

Spermatorrhoea, nisi complicationes accedant, quibus vita in periculum vocatur, multos per annos protrahi potest. Curatio diaetetica et therapeutica, nec minus aegroti natura ac indoles maximi momenti sunt. Inter alia in clinico medico Ill. Romberg occasio mihi oblata erat, validum hominem quinquaginta trium annorum observandi, qui jam per duodecim annos quotidie inter defaecationes semen se perdidisse contenderet demumque inde ex dimidio anno variis symptomatibus, maxime hypochondriacis, laboraret. In universum morbus apud juvenes, inprimis si per excessum in Venere in eum irruerint, multo citius funestum exitum sortitur, quam apud viros aetate provectiores et apud quos aliae exstant causae.

Si hoc malum non diutius negligitur, sed tempestivum adhibetur auxilium, sanitas semper, sed fere nunquam natura medicatrice, restitui potest. Tamen restitutio in integrum maxime gradatim perficitur et magna morbi proclivitas revertendi remanet, quod saepe antecedente mingendi cupiditate crebriore nuntiatur. Lallemand quidem plerosque aegrotorum statim post aliquot dies, postquam spermatorrhoea cauterisatione remota esset, plenam valetudinem assecutos esse narrat. Quae res in maximam dubitationem vocanda est, quum nobis haud liqueat, quomodo fieri potuerit, ut aegroti, quos maximopere defessos et debilitatos describit, paucis diebus post rursus tantum vigorem recuperaverint, quantum ipse asserit.

Nec minus cavendum est, ne spermatorrhoeam finitam putes, si semen veluti prius cum alvi secessu non apparet, nec amplius post urinam missam destillat. Semen enim eo crebrius in urina ipsa inveniri solet, nec temere Remak tradit, hanc morbi commutationem semper suspicandam esse, si spermatorrhoea remissa nocturnae pollutiones non exoriantur, aut coitus non exerceatur. Itaque tum demum certo convalescentiam apparuisse conjicere licet, si cum remissione diurnarum nocturnae pollutiones cum vivido voluptatis sensu usitatisque erectionibus fiunt. Quo facto etiam symptomata consensualia remittuntur; concoctio melior evadit viresque denuo accrescunt.

Haud raro autem in integrum restitutio imperfecta sequitur, quippe, etiamsi profluvio seminis plane remoto, tamen residua hujus morbi maneant. Observamus enim nonnunquam, eos, qui Spermatorrhoea laborarunt, per totius vitae spatium impotentes manere, aut omnino ad generandum non aptos. Praeterea de oculis debilibus infimaque memoria con-

queruntur, symptomatibus hypochondriacis laborant atque maxime sensibiles sunt, haud aliter ac mulieres hystericae.

Inter morbos, qui, nisi auxilium fertur, Spermatorrhoeae supervenire et mortem inducere possunt, praecipue numerantur:

1. *Phthisis pulmonum tuberculosa.* Hoc morbo saepissime exitus lethalis juvenibus paratur, qui jam per naturam debiles pulmones habent et inprimis onaniae vitio in Spermatorrhoeam inciderunt. Aut

2. Aegroti sub signis marasmi diem extremum obeunt, ita ut viribus magis magisque deficientibus *febris* exoriatur, quam dicunt *nervosam lentam.*

3. *Tabes dorsalis*, quam saepe inter exitus Spermatorrhoeae in libris enumeratam invenies (Cf. Fuchs, Naumann etc.), certe nunquam solo seminis profluvio efficitur, sed semper tantum ea ratione producitur, ut simul vehementes in Venere excessus sive per onaniam sive per coitum antecesserint. Sic una eademque causa duo procreantur morbi. Interdum omnino spermatorrhoea mature exorta prohibet, quominus morbus ad exquisitae tabis gradum progrediatur, nam per crebras seminis profusiones libido imminuitur atque medullam spinalem irritans causa aufertur. E contrario fieri potest, ut apud immoderatos, qui libidinem exiguam rebus spirituosis aliisque excitant, ipsa seminis inopia per spermatorrhoeam effecta, certe majorem medullae spinalis irritationem inter coitum adducat. Non enim seminis profluvia tabem dorsalem procreant, sed ea medullae spinalis irritatio saepe iterata et vehemens, quae per onaniam vel coitum efficitur. Haec vero concitatio omnino abest a spermatorrhoea, et quum seminis effusio sine omni nervorum stimulo praeter voluntatem evenit, summum inopia substantiae

animalis corpori subductae alicujus momenti est, forsitan etiam illa vis, quam semen in genitalibus existens in certas quasdam nervorum systematis functiones exserere possit.

Reputantibus enim nobis, apud spadones omnino virilem corporis ingeniique vigorem desinere et spermatorrhoea laborantes, morbo remisso, paucis diebus post validiores sese sentire, facile suspicari licet, vim ex semine proficiscentem et systema nervorum incitantem in spermatorrhoea pluris aestimandam esse, quam seminis elementorum nutrientium multitudinem. Sed re vera profiteri oportet, subitam nec opinatam virium restitutionem post spermatorrhoeae remissionem maxime apud hypochondriacos viros observari, in quibus etiam, quomodo animus afficiatur, respicere debemus. Incommoda autem, si ad illam jacturam substantiae animalis spectemus, qua, ut aegroti constitutio corrumpatur, fieri facile potest, haud alia sunt quam reliqua omnia, quae quavis excretione organi secretorii immodica provocantur. Physiologia enim jam dudum veterem illam atque obsoletam et vulgo acceptam doctrinam proferre non amplius audet, ex qua naturae ad semen secernendum majore virium intentione et quasi corporis succo meliore, quam ad aliam secretionem faciendam, opus sit. Itaque etiam quod Naumann hac de re disserit, tabem dorsalem praecipue demonstrare, quam arcte semen, si ejus originem ac reliquas qualitates respicias, cum nervorum substantia cohaereat, omnino repudiandum est.

Sed ne longius a proposito aberremus, spermatorrhoea, etiamsi per se nunquam tabem dorsalem efficere queat, tamen consensualem medullae spinalis affectionem afferre potest; nec temere Remak adnotat, magis probandum esse, si in multis ejusmodi morbis, quibus irritatio spinalis subesse putare-

tur, simul spermatorrhoeam adesse statuamus. Praeterea accidit, ut in tabe dorsali perfecta nullam adhuc spermatorrhoeam observaverint saepeque potentiam genitalem nondum exstinctam invenerint. Neque tabem dorsalem nimia seminis profusione sola exoriri posse, sed semper concitationem medullae spinalis aggredi posse, quae in morbo a nobis tractato omnino absit, eo etiam demonstratur, quod apud fistulas seminales, ex quibus semen semper effluere deberet, prorsus non apparerent tabis dorsalis vestigia. Quibus dictis supra a nobis editam sententiam satis demonstratam esse speramus, ex solo seminis effluvio nunquam tabem dorsalem profluere posse.

NECROSCOPIA.

Vesiculae seminales atque ductus ejaculatorii neque tam saepe neque tam accurate, spermatorrhoeae ratione habita, indagati sunt, quam optandum est. Itaque tantum exiguam materiem anatomia pathologica praebet. Cujus rei causa maxime in eo esse videtur, quod organorum seminalium affectiones non statim vitam in periculum ducunt et, si aegrotus morti succumbat, id tantum efficitur altero graviori morbo, ad quem medicus totum animum inter sectionem attendere solet. Hujus autem negligentiae alia causa est situs partium seminalium, nam ad eas exacte et recte investigandas tam ampla operatione opus est, quam Lallemand in opere suo indicat. Ibidem praeclarus ille vir sectionum magnam seriem enumerat, sed in earum majore parte tantum describit vestigia inflammationis, ut quidem Galli solent, dum alii scruta-

tores testiculos laxos et atrophicos, vesiculas vietas, aquoso liquore impletas invenerunt. Secundum causas atque stadia morbi res variat. Denique ceu mortis causa signa tabis dorsalis, aut pneumophthiseos reperiuntur.

Quod organa attinet, de quibus in spermatorrhoea prae ceteris disseratur, oportet:

1. *Testes* modo hypertrophicos modo atrophicos modo induratos reperimus; Lallemand adeo calculos et saepissime loculos invenit, pus continentes.

2. *Vasa deferentia*, aut dilatata aut coarctata, saepe dura et nodosa sunt tactu singulaque eorum loca nonnunquam cartilaginea, interdum in os transformata apparent. Tunica mucosa est tumida aut condensata.

3. Eadem ratione *vesiculae seminales* modo ampliores modo angustiores atque corrugatae conspiciuntur. Quod texturam attinet, saepissime inflammationem aut catarrhum chronicum antecessisse animadvertimus. Itaque inprimis earum tunicae mucosae corrugatio neque raro ulceratio, aut parietum condensatio invenitur. In parietibus callosis etiam ossificationes observatae sunt. Praeter multifarium et anomalum semen vesiculae etiam majorem vel minorem muci non colorati, albescentis, flavi, aut puriformis copiam, neque minus pus ipsum continent. Nonnunquam in vesiculis concretiones inventae sunt.

4. *Ductus ejaculatorii.* Lallemand eorum lumina saepe ita dilatata reperit, ut sine ullo incommodo pennam anserinam inducere posset. In tunica mucosa saepe perspicuum est, praesentem ejus statum e priore inflammatione aut catarrho chronico profluxisse. Eorum orificia, saepe fissuram in oblongum detortam formantia, erosiones neque minus ulcerationes offerunt.

5. *Glandulae prostatae morbi* propter anatomicam partium inter se conjunctionem maximi momenti quod ad ductus ejaculatorios sunt, quum hi semper plus minus illis simul afficiantur. Quod fieri solet per inflammationem, invenire haec licet: hypertrophiam ac indurationem, loculos pure repletos et ulcerationes, porro degenerationes scirrhosas et concretiones. Saepissime ductus ejaculatorii prostatae ulceratione perforati sunt.

6. *In urethra* maxime vestigia inflammationis, catarrhi chronici eorumque exitus observantur, inprimis stricturae partis prostaticae. Veru montanum aut apparet inflammatum, aut atrophicum. Tunica mucosa partis prostaticae est spongiosa et relaxata, aut sanguine multo repleta, quin etiam excoriata.

7. In *vesica urinaria* signa cystitidis chronicae ejusque exitus, neque minus lithiasis saepissime inveniuntur.

8. *Intestini recti* tunica mucosa est relaxata, hyperaemica. Stricturae, varices aliique tumores, porro faeces obduratae in recto intestino Spermatorrhoea laborantium nonnunquam observantur.

NATURA ET CAUSAE MORBI.

Spermatorrhoea quovis tempore, dummodo semen in testibus secernatur, exoriri potest; itaque tam crebro apud viros inter tricesimum et quinquagesimum vitae annum quam apud juvenes invenitur. Cujus rei Lallemand exemplum profert, se vidisse quendam hominem, narrans, hoc morbo laborantem, qui jam septuagesimum tertium annum excessisset. Phi-

lipps refert (cf. Medic. gaz.), inter centum et novem aegrotos a se observatos, octoginta quattuor fuisse, qui nondum vicesimum secundum annum assecuti fuerint.

Inter ea momenta, quae proclivitatem quandam sistunt, non infimum locum tenet habitus hereditate acceptus, id quod Lallemand compluribus exemplis probat. Inter alios enim hic septem homines unius ejusdemque familiae spermatorrhoea laborantes vidit. Nec minus saepe idem, aegrotos jam tempore infantiae incontinentia urinae affectos fuisse, observavit. Haud aliter Curling dicit, apud nonnullos opportunitatem quandam ad hunc morbum exstare, quam aetate juvenili jam ut debilis potentiae genitalis et vesicae urinariae irritabilitatis nimiae causam agnoscere possis.

Sed priusquam causas disponentes accuratius circumspiciamus, de natura ac ratione, qua spermatorrhoea eveniat, nonnulla praemittere non ineptum nobis videtur. Pristinis enim temporibus spermatorrhoeae naturam unice in aucta quadam sensibilitate et inde exorta debilitate ac atonia genitalium collocabant, donec Lallemand denique multis exemplis prolatis, spermotorrhoeam etiam vitiis organicis aliisque morbosis commutationibus exoriri posse, demonstraret. Quam ob rem seminis profluvium non idiopathicus morbus est, sed potius aliorum morborum maxime inter se discrepantium symptoma, vel exitus. Quum res ita sese habeat, intellectu non difficile est, aut in irritatione inflammatoria organorum seminalium, praecipue urethrae circa colliculum seminalem, aut in eorum relaxatione, aut in mechanicis vel organicis alienationibus, quas quidem alio loco exactius tractabimus, spermatorrhoeae causam positam esse.

Si igitur vel hoc vel illud exstat, musculorum orbicularium finitimorum motus aut magna concitatio totius corporis

jam sufficit, ut semen emittatur. Quum vero seminis profluvia facilius efficiantur obstipata alvo quam soluta, Lallemand contendit, spermatorrhoeam compressione vesicularum exoriri, quare necessario fluidum seminale, quod apud multos aegrotos post vel inter mingendum ferri solet, a detorsione vesicularum deducamus oportet. Quamvis haec externa mechanica momenta certe aliquid valeant, tamen in explicanda hac re ante omnia ratio legis motuum associatorum habenda est, quae, ut ad finem perducatur, functionibus nervorum ductus ejaculatorios dirigentium certe debilitatis maxime adjuvatur. Cogitari autem praeterea potest, nimia partis prostaticae urethrae sensibilitate praeterfluentis urinae irritamentum saepissime sufficere, ut ductus ejaculatorii ad contractiones et seminis effusiones adigantur.

Ad singula nunc momenta transeuntes, quibus irritatio, vel relaxatio, vel alienatio organica organorum seminalium effici profluviumque seminis provocari possit, protinus initio a nobis statuendum est, nunquam unicum momentum ad spermatorrhoeam procreandam sufficere, sed semper complurium causarum consociata vi opus esse, sive deinceps, sive eodem tempore appareant. Quam ob rem fere nunquam dirimere licet, quaenam causarum ad spermatorrhoeam gignendam maxime valuerit. Causas, quae exstant et plerumque tantum necroscopia cognosci ac dijudicari possunt, nunc sigillatim proponamus:

1. *Onania.* Inter omnes causas nulla exstat, de qua fusius et accuratius verba fecerint, nec ulla magis pervulgata et melius cognita est, quam onania. Semper inde sequitur aucta seminis secretio, vehementes atque fatigantes erectiones, denique partis prostaticae urethrae irritatio aut relaxatio, quibus exitus in spermatorrhoeam magnopere adjuvatur. Man-

stuprationibus jam diu intermissis, illa genitalium irritatio perdurare et in dies magis magisque seminis secretio multiplicari potest, ita ut vesiculae seminales semper semine abundent.

2. *Veneris abusus.* Coitus brevi temporis intervallo frequentius, quam natura exposcit, tentatus, non solum nervorum totum systema frangit, sed etiam genitaliun vigorem maxime imminuit morbosamque sensibilitatem efficit. Frequentiore seminalium receptaculorum depletione, genitalium inter coitum intentione, continua sanguinis congestione, irritatio tandem inflammatoria gignatur necesse est, quae quidem initio vehementes vividasque erectiones provocat, unde potentiam genitalem vigere conjicere possis, quae omnino non adest.

3. *Morbi urethrae.* Inter eos maxime urethritis ejusque exitus, veluti blennorrhoea, strictura, ulcera, ad spermatorrhoeam corpus propensum reddunt. Blennorrhoea urethrae, quamvis maximi momenti sit, tamen sola seminis profluvium efficere non bene valet; sed prius quam apparet, aut postea etiam, saepissime multae gravissimaeque res conferuntur, quibus jam solis spermatorrhoea induci possit. Urethrae igitur status de ceteris omnibus organis, quae ex illa exeunt, vel ei vicina sunt, multum valet. Itaque inflammatio chronica, quae gonorrhoeam sanatam saepe excipit, per continuam membranam mucosam propagari potest, ita ut non solum ductus ejaculatorii, sed etiam vesiculae seminales in statum irritationis incidant.

Sin vero stricturae vel ulcera circa colliculum seminalem exorta sint, eo facilius spermatorrhoea inde proficiscatur necesse est. Ductuum enim ejaculatoriorum orificia tum amplificantur aut distorquentur, aut interdum eroduntur, ita ut

semen causa vel minima, v. c. musculis orbicularibus commotis, profluere debeat.

4. *Morbi glandulae prostatae.* Propter situm necessario omnibus prostatae morbis ductus ejaculatorii implicantur, quam ob rem modo in irritationis modo relaxationis statu versantur. Si prostatae substantia ulceratione destructa est, ductus ejac. denudantur, ex orificiis eorum praeterea distortis pus et semen effluit, irritatio denique inflammatoria usque ad vesiculas propagatur.

5. *Morbi ductuum ejaculatoriorum.* Hi plerumque tantum morbosis confinium organorum affectionibus per consensum tentantur. Interdum tamen idiopathice eos aegrotantes invenimus. Passim enim in cartilaginem mutati aut ossificati, vim sese contrahendi deperdunt et nihil obstat, quominus semen, nullo stimulo praegresso, ad urethram descendat, quum ductuum orificia non amplius conclusa sint, neque semen ut redeat in vesiculas, cogere possint.

6. *Vesiculae seminales.* Hae quoque praecipue finitimorum organorum morbo simul afficiuntur et aut in irritationis aut relaxationis statu versantur. Sensibilitas saepe tanta est, ut ne minimum quidem stimulum tolerare vel minimam seminis quantitatem in se recipere possint, sed statim ad contractiones incitentur. Nec minus saepe tumoribus vel pelvis vel cavi abdominis ita comprimuntur, ut semen omnino recipere nequeant. Sed sponte etiam vesiculae in morbos incidere possunt. Variis texturae alienationibus lumen earum aut coarctatur aut prorsus concluditur, v. c. parietum condensatione et ossificatione, concretionibus, pure, quod ulceratione provocatum implet totum cavum. Hac rerum conditione seminis receptacula esse desinunt vesiculae. Liquor genitalis, perdurante secretione, prope orificia accumulatur eaque

postremo pondere suo opprimit, nisi jam exstent aliae res, quibus orificiorum vis prohibitiva sublata est.

7. *Morbi testium,* inter quos praecipue orchitis commemoranda est.

8. *Morbi vesicae urinariae;* inprimis cystitis chronica, blennorrhoea, concretiones in vesica ortae, secundariam irritationem organorum seminalium provocare eaque seminis profluvia efficere possunt.

9. *Morbi intestini recti* aut mechanice aut dynamice ad spermatorrhoeas gignendas multum valent. Collecta obdurataque stercora, varices majores, tumores scirrhosi aliique mechanicam vim, et quidem vesicularum compressione, exserunt. Dynamice autem vesiculas seminales afficiunt omnes haemorrhoidales stimuli, ascarides vermiculares, recti irritationes per acria drastica etc.

10. Praeter causas a nobis commemoratas multae affectiones in vicinia partium genitalium exstant, quae, organorum seminalium irritationem provocantes aut saltem alentes, aliis quoque rebus faventibus simul ad spermatorrhoeam perficiendam conferre possunt. Huc maxime numeranda sunt balannitis, praeputium longius protensum, sub quo multum smegmatis secernitur, phimosis naturalis, subita denique suppressio exanthematis, praecipue herpetis, cujus rei Lallemand multa exempla affert. Materia enim exanthematica, ad urethram translata, ibidem inflammationem provocat. Praeterea spermatorrhoea saepius cum diabete mellito observata esse dicitur.

Wichmann narrat, virum triginta annorum, cujus brachio emplastrum Cantharidum imposuisset, non multo post semen invita mente amisisse, imo semper hoc edidisse, quoties Cantharides olfaceret, aut de iis sermo ageretur.

Philipps (med. gaz.) refert, inter centum et novem aegrotos, observandos sibi traditos, nonaginta septem fuisse, quorum spermatorrhoea ex manstupratione profluxerit; quattuor ex irritatione phimosi naturali effecta, duos ex coitu immoderato, duos denique ex urethrae stricturis in seminis profluvium incidisse.

DIAGNOSIS.

Aegrotorum querelae, quas in universum edunt, nec minus eorum habitus atque adspectus interdum spermatorrhoeae suspicionem commovere solent, tamen certam morbi diagnosin reddere nequeunt. Nulla est alia spermatorrhoeae dignoscendae via certa quam exactissima liquoris genitalis aut urinae excretae disquisitio, in quibus fluidis, si morbus adest, microscopii ope animalcula spermatica invenies. Oculis microscopio armatis seminis quoque profluvia prae ceteris secretionibus ex urethra proficiscentibus dignoscuntur. Ex semine urinae admixto nubeculae et sedimenta oriuntur, quae solo adspectu vix a muco discernere possis. Sed si ejusmodi urinam per viginti quattuor horas in angusto vitramine reponis, spermatozoa in fundo resident et microscopii ope in sedimentis ex figura propria et insigni facillime cognoscuntur. Nec tamen hoc tam facile est, ut quidem videtur, magnaque exercitatione et patientia opus est, ut spermatozoa plerumque jam mortua reperias. Negligendum porro non est, urinam mox post coitum aut pollutiones nocturnas profusam, exiguas seminis quantitates continere posse, etiamsi ob eam rem nulla exstet spermatorrhoea.

Urinae disquisitio interdum eo difficillima redditur, quod eodem temporis spatio alii morbi, ut catarrhus vesicae, abscessus prostatae aut renum, fluxus prostaticus, accedunt, quibus urinae sedimentum pituitosum et purulentum admiscetur. Res etiam difficilior atque implicitior fit, si, quod accidit Remak, aegroti prius blennorrhoea urethrae laboraverant. In his urinae sedimentis praeter cellulosa quaedam elementa variae magnitudinis nihil aliud initio animadvertere potuit, quam coagulatae fibrinae propriam structuram. Primum his albulis acervulis gelatinosae consistentiae statim post mictum saepius observatis, contigit ei, ut spermatozoa reperiret, quae per coagulum prostrata admixto demum acido acetico conspicua essent.

Vix dici potest, quam caute urina sit examinanda. Nec solum urina matutino tempore aut inter alvi excretionem, sed etiam meridie edita, per complures dies observanda est; nam seminis profusio quovis diei tempore fieri potest, aeque ac salia urica saepe tantum in urina meridie missa inveniuntur.

Neque silentio praetermittendum est, quod Schoenlein et Donné afferunt, spermatorrhoeam, si in urina crystalli oxalicae reperiantur, etiamsi nesciant aegroti, semper statuendam esse. E contrario autem saepe in spermatorrhoea deficit acidum oxalicum; quae res autem haud magni momenti esse videtur, quum nonnulla vegetabilia comesta salia oxalica contineant, quae per renes iterum secreta simul cum urina redduntur.

PROGNOSIS.

Spermatorrhoeae prognosin non tam infaustam exhibent, quam scriptores plurimi, imo etiam Lallemand in libro multas ob caussas excellentissimo, contendunt. Auxilium si non nimis sero affertur, nec novus veneris abusus accedit, rationali et assidua curatione plerumque restitutio in integrum efficitur, quam tantum partium genitalium magnae commutationes organicae inhibere possunt; quin etiam Fuchsio teste tabes modo incipiens non insanabilis est. Sed tuberculis in pulmonibus depositis, nulla amplius salus affulget. Summi praeterea momenti sunt in hac re morbi cum spermatorrhoea conjuncti, fere nunquam deficientes, nec minus aegroti constitutio ac vivendi ratio, quum sint, qui per annorum seriem nullo incommodo per seminis profusionem afficiantur.

In specie prognosis pendet a quantitate profusi seminis, ab efficientibus morbum caussis, inter quas praegressa manstupratio et immodica coitus exercitatio gravissimae sunt, nec minus ab ipsarum causarum curatione, a defectu virium et voluminis corporis deminutione, molestiis pectoralibus et symptomatum praesentia, quibus incipiens morbus medullae spinalis indicatur.

Boni autem ominis sunt: vires rursus auctae, libido denuo excitata, ante omnia revertentes pollutiones nocturnae, quae sub somniis libidinosis et erectionibus usitatis apparent.

Quod denique illud genus attinet spermatorrhoeae, in quo nocturnae tantum vehementer pollutiones eveniunt, periculum non ex numero pendet, quum e contrario huic morbo proprium sit, ut pollutiones in intervallis semper auctis fiant et interea diurnae invicem iis succedant. Res igitur ita se

habet, ut periculum inversa ratione pendeat ab erectionis sensusque vigore.

CURATIO.

Ex ipsa causarum cognitione hoc etiam in morbo curationis petenda sunt praecepta. Itaque primum illud malum, quod semper certum locum tenens spermatorrhoeam alit, curandum est, nam in casibus inveteratis non prius vires et valetudinem reficere licet, quam morbo partis prostaticae remoto. Quod ut fieri possit, ante omnia opus est apto judicio de statu urethrae vitali, num in irritatione aut in atonia versetur. Pristinis temporibus putabant, spermatorrhoeam in nulla alia re positam esse, quam in relaxatione ductuum ejaculatoriorum. Qua opinione multae calamitates exortae sunt, quia remedia roborantia tam localia quam universalia tum etiam statim adhibebantur, cum manifeste status chronicus irritabilis praevaleret, qui multo crebrius invenitur, quam contrarius. Curatio autem hoc in casu talis esse debet, ut apparatu antiphlogistico irritatio nimis aucta exstinguatur. Itaque utiles sunt hirudines ad perinaeum applicatae, infrictiones unguenti hydrarg. cinerei, balnea tepida, mitesque injectiones mucilaginosae in urethram. Interne porrigantur emulsiones, aut, quod aptissimum est, infusum e semine Lini et Cannabis paratum. Praeterea victus vegetabilis aegroto praecipiendus est, maxime autem diaeta lactea laudatur. Nec minus curandum est, ut aegroti solutam alvum habeant, id quod clysmatibus emollientibus vel oleo ricini efficitur. Si genitalium sensibilitas vehementer aucta est, remediis sedativis omnino carere non possumus. Injectiones extracti nar-

cotici aqua amygdalarum soluti in urethram praecaute factae, prosperum eventum habent, praeterea opium cum nitro et camphora conjunctum interne porrigatur, aut illa a Schoenlein contra Satyriasin magnopere commendata conjunctio extracti Belladonnae gr. $^1/_8$ cum camphorae grano uno. Pauli narrat, non solum in stricturis, sed praecipue, ubi chronica inflammatio praevaleat, nimiam sensibilitatem genitalium, quando res in discrimen venisset, eo se sedasse, ut subinde cereolos elasticos induceret. Sin vero, irritatione locali vel hac vel illa ratione remota, totum corpus male afficitur, ad curam magis roborantem transire expedit.

Quando autem in genitalibus relaxatio atonica praevalet, omnino aliter res se habet methodusque roborans universa et localis adhibeatur, necesse est. Hac in re insessus frigidi, balnea maritima et ferruginosa, interne remedia amara et ferri praeparata maxime indicata sunt. Lallemand lac frigidum cum aqua Spaadana vel aqua calcariae conjunctum magnopere commendat ter per diem. Nec minus victus ejusmodi debet esse, ut vires corroborentur, attamen cavendum est a quovis cibo vel potu stimulante. Quotidiana denique alvi excretio clysteribus ex aqua frigida paratis effici potest.

Etiamsi autem his omnibus modo commemoratis remediis cum accurato delectu atque prudentia utamur, tamen non semper contingit, aut perraro quidem, ut, parte prostatica urethrae in integrum restituta, spermatorrhoea tollatur. Quod si accidit, nihil restat, quam ut utamur cauterisatione partis prostaticae urethrae. Magnam hujus curae per medicamenta caustica utilitatem primum dilucidavit aptumque invenit instrumentum Lallemand, vir doctissimus. Plerumque argentum nitricum potentissimum et saepe solum medicamentum

est, quo adhibito fieri potest, ut pars prostatica reficiatur, et nota jam est praeterea utilitas ejus in vaginae inflammationibus et portionis vaginalis, quae tam saepe fluorem album alit. Eadem ratioue etiam in spermatorrhoea maxime convenit simulque commodum affert, quod cauterisatione facta utrique respondet statui, et irritationis et inprimis relaxationis, quamobrem res eo magis prosperum habet eventum, quo irritabilior prius urethra erat. Cauterisatione enim sensibilitas morbosa sedatur, membranarum mucosarum orificiorumque ductuum ejaculatoriorum status corrigitur, nimia denique secretio testium et prostatae terminantur. Lapis infernalis, ut nobis quidem videtur, simili ratione vesiculas et prostatam afficit, quali medicamentum incitans ad conjunctivam oculorum applicatum per punctum lacrymale resorptum tunicae mucosae sacci lacrymalis morbum sanat. Solutum enim remedium causticum ab orificiis amplificatis, ad latera veru montani sitis, receptum in interiorem partem harum glandularum traducitur.

Quali instrumento opus sit ad operationem et qua ratione ea ipsa perficiatur, ex chirurgia cognitum est. Quum urethra magis solito irritabilis sit inter catheteris immissionem interdum opus est quadam praeparatione, ea quidem ratione, ut haec sensibilitas tepidis insessibus et in urethram injecto extracto Belladonnae, soluto aqua Laurocerasi, extinguatur. Sin autem pars prostatica per consensum vesicae urinariae catarrho affecta est, primum tunica vesicae mucosa aduritur et cauterisatio inter retractionem instrumenti usque ad bulbum urethrae profertur. Cauterisatione ipsa vehemens dolor efficitur, interdum tantus, ut aegrotum anima deficiat, sed elapso quadrante horae vel semihora plerumque dolores praeterierunt. Inprimis viginti quatuor aut triginta sex horis post

operationem crebrior impulsus urinae reddendae adest, sanguis et pus excernitur, seminis autem profluvia imminuuntur. Saepe una cauterisatio sufficit, interdum autem bis vel quater repetenda est, priusquam spermatorrhoea omnino desinat. Maxima pars aegrotorum, qui semel tantum magnam potentiam cauterii cognoverunt, magnopere eam laudant, cavendum autem est, ne seducamur, ad eam repetendam, priusquam valetudinis progressus aliquamdiu haesitaverint. Quando autem res procedit, etiamsi paullatim, sperandum est, fore, ut valetudinis cauterisatione incepta restitutio apto victu modicoque organorum usu tandem prospere cedat. Certe cauterisatione valetudo semper restituitur, quando omnino licet et causae rite aestimatae removeri possunt; liquet enim, cauterisationem nihil prodesse, quando concretiones vesicae urinariae, vel stimuli haemorrhoidales, aut ulla alia causa novam semper irritationem urethrae provocant.

Spermatorrhoea plane remota, statim valetudinem corporis universam refici necesse est, dum haec quoque affecta sit. Itaque ferri praeparata, cortex chinae aliaque remedia roborantia, porro victus nutriens quidem, sed non stimulans, mutatio domicilii, motus sub divo maxime salutaria sunt.

Omnes caelibes et spermatorrhoea affectos Philipps matrimonium inire jubet, quod quidem non probandum est, quoniam aegroti impotentes sunt neque aliud quidquam magis aptum est ad malum eorum augendum sanitatisque restitutionem inhibendam. Hac demum valde confirmata, matrimonium utile est.

Nec deerant denique, qui in pertinaci spermatorrhoea castrationem faciendam suaderent, quam vix ulla ratione laudare possumus; nam ubi non magnae mutationes organicae, eaeque partium genitalium, exstant, morbus semper assidua

cura exstingui potest. Sin causae ejusmodi sunt, quae removeri non possint, postremo ad spermatorrhoeam febris lenta accedit, vel alius morbus, nihil jam reliquum est, quam ut curam secundum usitata therapiae praecepta administremus. E neglecta vero spermatorrhoea ortae impotentiae vel oculorum debilitati vel memoriae hebetudini, nisi tempestive aptisque remediis reficiantur aut mitigentur, omnino mederi nequimus.

VITA.

Natus ego sum, Joannes Albertus Guilelmus Rudolphus Niesemann, anno vicesimo altero hujus saeculi, tertio die ante Idus mensis Augusti Neuwarpii, Pomeraniae oppidulo, patre Joanne, matre Agatha, e gente Engel, quos mihi morte ereptos jam multis ex annis lugeo semperque lugebo. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis in schola publica patriae urbis privatisque institutionibus imbutus, duodecimo aetatis anno gymnasium Sedinense, quod etiam nunc directore Clar. Hasselbach floret, paschali tempore adii et in numerum discipulorum sexti ordinis adscriptus sum. Quinque annos ibi versatus, Stargardiam me contuli, ubi in secundum ordinem gymnasii receptus sum, quod tum directore Doct. Falbe, regi a consiliis scholasticis, postea vero directore Freese florebat et adhuc floret. Praeceptores ibi mihi fuerunt benevolentissimi Freese et Wilde, quorum memoriam nunquam ex mente dimittam. — Testimonio maturitatis instructus, ineunte vere MDCCCXLIII ad medicinam colendam in universitatem literarum Vratislaviensem me contuli et ab Ill. Benedict, rectore magnifico, civium academicorum numero adscriptus, apud Ill. Purkinje, t. t. Gratiosi medicorum ordinis Decanum spectatissimum, nomen rite professus sum. Vratislaviae autem per biennium his interfui lectionibus:

Ill. Thilo de psychologia et de logice; Ill. Pohl de physice experimentali; Ill. Fischer de chemia experimentali; Cel. Duflos de chemia pharmaceutica; Ill. Glocker

de mineralogia; Ill. Gravenhorst de zoologia; Ill. Nees ab Esenbeck de botanice tam generali quam speciali; Ill. Henschel de medicinae encyclopaedia et methodologia, nec non de pathologia generali; Ill. Barkow de osteologia et syndesmologia; Beat. Otto de corporis humani anatomia tam theoretica quam practica, de anatomia comparata, de historia foetus et de sectionibus forensibus rite instituendis; Ill. Purkinje de physiologia; Ill. Klose de materia medica; Ill. Goeppert de arte formulas medicas concinnandi; Ill. Benedict de chirurgia generali ac speciali, de instrumentis chirurgicis, de doctrina fascias applicandi; Ill. Remer de morbis syphiliticis.

Anno MDCCCXLV, mense Majo hanc Illustrem literarum sedem Berolinensem adii et ab Ill. Hecker, qui tunc fasces tenebat, inter cives academicos atque a Beat. Wagner, decano gratiosae facultatis medicae spectatissimo, in numerum studiosorum medicinae receptus, hasce lectiones frequentavi: pathologiam et therapiam specialem Exper. Dann; anatomiam pathologicam Ill. Mueller; artem obstetriciam Cel. Schmidt; medicinam forensem Ill. Casper; historiam medicinae Ill. Hecker.

In clinicis exercitationibus chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Juengken et Dieffenbach, in cl. exerc. medicis Cel. Wolff et Ill. Schoenlein, in exerc. policlinicis Ill. Romberg et Cel. Truestedt, in cl. exerc. obstetriciis Cel. Schmidt duces moderatoresque mihi fuere benevolentissimi.

Quibus omnibus viris illustrissimis et maxime de me meritis summas ago gratias, pio gratoque animo semper servaturus eorum memoriam.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, et examine rigoroso superatis, fore spero, ut dissertatione et thesibus palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi deferantur.

THESES.

1. Aetheris sulfurici inhalatio ad operationes tam chirurgicas quam obstetricias instituendas omni periculo caret.
2. Puris resorptionem per vasa lymphatica fieri posse nego.
3. Inter animalia et plantas certus limes constitui nequit.
4. Matris servandae causa foetum enecare omnino non licet.